

XXXI. Non in alia re tamen damnosior quam in aedificando, domum a Palatio Esquilias usque fecit, quam primo *transitoriam*, mox incendio absumptam restitutamque *auream* nominavit¹. De cujus spatio atque cultu suffecerit haec rettulisse. Vestibulum ejus fuit, in quo colossus CXX pedum
5 staret ipsius effigie² ; tanta laxitas, ut *porticus triplices milliarias haberet*³ ; item stagnum maris instar, circumsaeptum aedificiis ad urbium speciem ; rura insuper arvis atque vinetis et pascuis silvisque varia, cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In ceteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis unionumque conchis erant ; cenationes laqueatae tabulis
10 eburneis versatilibus, ut flores, fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur ; praecipua cenationum rotunda, quae perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur ; balineae marinis et albulis fluentes aquis. Ejus modi domum cum absolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut se diceret “quasi hominem tandem habitare coepisse”.

¹ Cette *domus* de Néron a commencé par prendre le qualificatif de *transitoria* parce qu'elle permettait à l'empereur de *passer* de son palais du Palatin à ses jardins de l'Esquilin. Totalement détruite pendant le grand incendie de 64, elle a été immédiatement reconstruite, de manière encore plus fastueuse. Mais à la mort de Néron en 68, cette *domus aurea* n'était pas encore achevée.

² Un colosse de bronze de 36 mètres de haut, inspiré probablement du colosse de Rhodes, l'une des sept merveilles du monde. Il a donné son nom au *Colisée*, construit après la mort de Néron par les Flaviens.

³ *Son portique avait trois rangs de colonnes et mille pas de longueur* (= 1479 mètres).